# TENTAMEN INAUGURALE

QUAEDAM

DE

# DIABETE MELLITO

COMPLECTENS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS O'BRIEN,

*HIBERNUS,*

SOCIET. MED. IN ACAD. EBLAN. SOCIUS.

---

*Principiis obsta; sero medicina paratur*
*Cum mala par longas convaluere moras.* OVID.

---

*Calendis Augusti, hora locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

DIONYSIO O'BRIEN,

PATRI SUO CARISSIMO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA CUM PIETATE,

D. D. D.QUE

FILIUS.

# TENTAMEN INAUGURALE

QUAEDAM

DE

# DIABETE MELLITO

COMPLECTENS.

---

Morborum haud paucorum pathologia, quibus genus humanum obnoxium sit, adeo in atra caligine immergitur, ut, etsi medicina plurimis incrementis aucta sit, tamen usque ad hoc tempus nimis frequenter occurrunt exempla, in quibus remedia, quamvis peritissime et aptissime adhibita, nihilominus nequidquam valent. Artes scientiaeque complures summum fere fastigium obtinuisse videntur. Verum medicina, quanquam annis recentioribus magnopere locupletata, tamen non passibus aequis progressa est.

Non aliquid novum vel perutile inveniendi,

sed pauca de morbo haud attentione indigno breviter edendi, spe perductus sum ; atque mihi videtur, omnia quae de hac re nota, et etiam multa quae minime satis nota sunt, inter fines hisce dissertationibus more impositos, comprimi possint.

Diabetes haud ignotus fuit veteribus. Inter eos Aretaeus omnia fere signa breviter et concinne narrat ; nihil autem aliud quam ejusdem historiam scripsit. Dehinc longa effluxit annorum series, nec quicquam de morbo isto pertinace, et plerumque lethifero, amplius dictum fuit. Hi omnes, qui hacce in materia versabantur, eadem, alii post alios, sine ullo additamento, re minime dilucidata, proponebant : et revera nihil progressi sunt, usque ad tempus quo Doctor Willis qualitates ejus hactenus occultas animadvertit. Unum quidem quidquam solatii afferre potest, quod diabetes in paucissimos saeviat. Apud antiquos non multa reperiuntur exempla hujus morbi. Affirmant aliqui plures eo, nostris diebus, quam olim, laborare ; et quod frequentius hodie occurrit, id tribuunt liquoribus spirituosis, quibus supponunt nos largius uti quam veteres. Sed assertio illa valde instabilis videtur ;

et hoc unum bene noscitur, scilicet, Diabetis theoriam magis illustratam esse recensioribus temporibus accuratiusque observatam quam antiquitus. Notandum est, in nosocomiis Parisiensis, in quibus singulis annis millia numerantur aegrotorum, homines rarissime Diabete affectos. Porro occurrant plura in his regionibus exempla quam apud Gallos ; et quidem animadversum est, morbum istum acrius frequentiusque saevire in frigidis humidisque plagis quam sicca sub aura calidoque sole : verum morbus in omni terrarum orbis parte exoritur. Nulla aetas ab ejus aggressu defendit, atque omni temperamento sexuique pariter obnoxius est.

Doctor Willis certe involutum tenebris primus evolvit Diabetem ; et quamvis solummodo indicaverit praecipuas ejus proprietates, nimirum, odorem mellitum et saporis dulcedinem diabeticae urinae (quae quidem proprietates ad hoc tempus latuerant,) multum perfecit. Multa tamen efficienda adhuc supererant, et quod quidem urinae saccharum inesse postea ostenderunt analysi chemica Willis, Pool, Dobson, Cawley, Cruickshank, &c. &c. Dobson saporem dulcem apparentiamque haud naturalem in

sero sanguinis animadvertit; sed ROLLO saccharum detegere nequibat, etiamsi, auxiliante CRUICKSHANK, hocce experimento instituerit.

Sanguinem in duos cyathos conjecit, in unum sani, in alterum diabetici cujusdam proprium; uterque aëri objectus est; biduo hujus facies naturam, caseo simillimam exhibuit, quae, sero in vaporem elato, evanuit; superstite concreto et resinae simili quodam; neque putredinis notae affuere. Contra, sanguis alter sano detractus, quatuor diebus exactis, eo putruit, ut septimo die foetorem non patibilem emiserit. Nihilominus alio in loco eandem cum DOBSON sententiam fovere videtur; et in modo sequente se exprimit: "The serum of the blood apparently containing less saccharine matter than the urine, may depend on the power of the kidneys in separating it in common with the other saline matters of the blood; but, proving a new and unusual stimulus, their action is increased, and the saccharine matter consequently separated speedily, and in proportion to its formation in the stomach *." De hoc

* Vide Rollo on Diabetes.

THENARD ita dicit : " ROLLO avait avancé que " le sang des diabetiques renfermait une cer- " taine quantité de sucre, mais cette observa- " tion ne s'accorde point avec les experiences " de M. WOLLASTON, et est tout-a-fait inexacte. " MM. NICOLAS et GUEDVILLE en ont retiré " beaucoup plus de serum et beaucoup moins de " fibrine que dans l'état sain *." Sub judice lis est ; et inter talium virium sententias, meam minime liceat interponere.

Apud medicos Diabetes varia nomina accepit. Dictus est Mellitus, si urina fragrantia praedita fuerit, simul et sapore coloreque mellis satis magna aquae copia diluti, id est, flavo-viridi leviter infecti : insipidus, si limpida fuerit, absque sapore ullo dulci. Verum quia casus isti perrari sunt, sapor autem dulcis urinae materiaque saccharina fere semper occurrunt, tantummodo de una specie, Mellita scilicet, mihi in animo est disserere, quia an altera sit Diabetis nomine digna, dubitare potest ; et quamvis speciem insipidam et idiopathicam apparuisse affirmetur, limites hanc inter et urinae profusiones symptomaticas haud satis accurate indicantur.

* Thenard Traité de Chimie.

## CAUSAE.

Causa immediata et proxima Diabetis semper habita fuit ut perobscura, et variae sunt de hac re opiniones. Alii censent fontem ejus in jecinore ponendum esse. Revera Diabete nonnunquam laborant ii, quorum jecur vitiose se habet; et multae probant dissectiones, organum illud apud diabeticos plerumque naturaliter ordinatum esse. Opinantur alii, Diabetem habendam esse ut effectum relaxationis, ex qua sequitur maxima urinae accretio; et reipsa inspectio renes hoc malo affectos in statu flaccido exhibuit. Verum dici potest, horum aliarumque partium laesionem tantummodo secundariam esse; ita ut vitiosus ille status existimandus sit effectus potius quam mali causa: quae equidem sententiae, exemplo quod Doctori Pearson videre accidit, valde corroboratur; in quo horum organorum structura haud mutata fuit: quod certe, ut minimum dicam, probat, morbum non omnino ex primaria renum affectione pendere. Insuper, immoderatum appetitus incrementum, quod adjunctum habet apparens in chylificatione vitium,

satis ostendit aliquam organis ad digestionem pertinentibus inesse resolutionem. Nullis validis rationibus confirmatur opinio eorum, qui asserunt, causam Diabetis primariam in aliquo vitio renum actionis stare, eademque actione materiam saccharinam in urina gigni. Quinetiam, videmus lac, fluidorum in corpore humano facillime mutatum, exitu tamen naturali negato, integrum per renes demissum ; veluti mammae vicissim in ischuria, urinam interdum per eas transire permittunt. Denique, ipsi renes urinam integram subito secernunt, postquam diaeta animalis instituta fuerit ; quod solum, sine ullo alio auxilio, ut mihi videtur, hypothesin, huic morbo sedem in renibus esse, radicitus eruere valet. Ultima opinio, et quidem firmioribus argumentis nixa, eorum est, qui hujus morbi causam immediatam ex defectu assimilationis pendere existimant ; nec ideo ut aliquae insit renibus mala affectio necesse est. Eorum irritatio nullam habet partem in primaria causa. Equidem admodum difficile esset explicare, quomodo istud renale vitium, mutationem, quae locum habet in urina diabetica possit producere, quamvis fieri queat, ut illa irritatione augeatur urinae secretio.

## CAUSAE REMOTAE.

Causae remotae et occasionales multae recensentur; nulla autem certo assignari potest: nulla generatim omnibus qui occurrunt casibus applicare potest. Tamen sequentes afferri solent, viz. immoderatus liquorum spirituosorum usus; victus parcus et sordidus, unde apud infimam plebiculam saepius quam apud divites homines occurrere dicitur; continua coeli inclementiae expositio, et habitatio in locis humidis ac frigidis; ex cultu Veneris immodica; ex haemorrhagiis et venaesectione frequente; acriores diureticae; exercitatio nimia, praecipue quum corpus jam fractum sit morbis chronicis, ut intermittentibus; ex coelo incerto, ubi frigus cum calore subito alternat; morbi diuturni, in quibus severa fuit opus diaeta; copiosae suppurationes. Etiam Diabetes saepe comitatur hysteriam, melancholiam, dyspepsiam, et asthma; autem morbus multo mitior quando symptomaticus, quam cum primarius est. Denique, convivia lauta et vina generosa, interdum in causa fuisse dicuntur. Hae sunt, quae vulgo afferuntur causae;

et equidem in se aliquid difficultatis habent: morbus enim saevit in omnes aetates, in omnes conditiones, in utrumque sexum; et constat aliquos extitisse Diabete laborantes, quibus vix una ex causis modo allatis applicari potest.

## SYMPTOMATA.

Rarum est ut Diabetes funestum subito habeat exitum. Malum istud gradatim et lente procedit: per plures menses stare potest, nullo alio malo comitante. Ex plurimis pervolutatis casibus sequentia collegimus symptomata in variis morbi periodis. Continuum urinam faciendi desiderium: hoc symptoma nonnunquam comitatur aestus a ventre ad vesicam pertingens, semper autem urinarum accretio indies progrediens; debilitatis sensus absque febre; cutis arida, aspera, rugosa et calida; os lentore impeditum; saliva alba; tussis sicca et admodum difficilis. Haec sunt symptomata primae periodi Diabetis propriae. Adhuc abest dolor renum et vesicae, urina limpida est, inodora, saporis expers. Sitis inextinguibilis et inexpleta, ad ci-

bos aviditas, videntur esse duo maxime notanda Diabetis symptomata. Prius semper occurrit; si non in prima mali periodo, saltem in secunda. Posterius fere semper se offert, et quidem in secunda periodo: diximus fere semper; quia afferuntur casus paucissimi, in quibus aegrotans famem voracem non sentit. In secunda mali periodo fluxio urinae immoderata evadit, magis magisque crescens; qua ratione, morbus tandem liquorum sumptorum et aliquando solidorum vim simul superat. Non potest accurate assignare quid discriminis ingestorum inter et egestorum quantitatem; sed extant casus in quibus emissa urina, per dies, per hebdomadas, imo per menses integras, quinque et viginti et etiam triginta librarum fuit. Vis autem tota ingestorum multo minor fuit. Porro, a Professore Home exemplum narratur, haec ubi accretio usque ad quantitatem fere incredibilem pintarum sexaginta horas intra viginti et quatuor aucta fuit. Unde nascatur illud, quo egesta superant ingesta, haud facile dictu. Medici quidam existimant, aquam ex aëre absorptam esse, (quod valde dubium est,) et sic enodant urinae redundantiam. Post evacuationem urinae subit emis-

sio involuntaria seminis. Hacce in periodo praestant urinae colorem, qui ad palaeam pallidam similitudine accedit, saporem subdulcem cerevisiae tenui simillimum, aut melli aqua diluto, cum cineraceo copiosoque sedimento. Diabetes semper annexam habet aliquam vitiosam mutationem in excretione alvina, praesertim vero alvum astrictam. Interdum intestina adeo torpescunt, ut acerrima medicamenta copiose sumpta vix quidquam efficiunt; saepissime etiam tumor et inflammatio ad orificium externum animadvertuntur. Nausea et indigestio sunt quoque symptomata comitantia in hac periodo: tunc materiae per os ejectae sunt aliquando subdulces, saepius vero odore et sapore acido. Dejectio virium a prima periodo occurrit: febris parum evidens est; verum post diuturnitatem morbi, cum jam aegrotans liquorem vix sumptum ejecit, digestione admodum difficili evadente, tunc debilitas fit summa, et adest hectica febris. Malo magis ac magis crescente, sequuntur deformis et horrida macies, totius exsiccatio corporis, depressio universa, tantaque virium exhaustio, ut aegrotus non valeat stare pedibus. Etiam experitur acerrimus dolor in regione lumborum, tu-

mor in abdomine, et praeputii excoriatio, adeo ut phimosis inde sequatur. Inaequalis arteriarum percussus, plerumque citatus, magis quam pulsus naturaliter ordinatus, quod summam debilitatem denotat. Aliquando visus hebes et obscurus est, et vertigine laborat aegrotans. Tandem pulsus parvus et intermittens et consumptio.

## PROGNOSIS.

Prognosis semper cum cautione dicenda est, quippe morbus est fere semper lethalis. Quanto tamen leviora sunt symptomata, tanto magis felix est prognosis; et sitis sedata, placata ventris rabies, cutis lenior molliorque, intestina laxiora meliusque ordinata, urina rarius et minori quantitate emissa, indies nativum fere colorem, simulque saporem praestans, dyspepsia valde remissa, corporis vires aliquantum refectae, mentis vigor restitutus, ut fausta symptomata habenda sint; contraria vero exitum funestum serius ociusve futurum denotant.

## RATIO MEDENDI.

Nostra sententia de causa morbi proferre inducit tria consilia medendi.

*Primo,* Actionem stomachi minuere.

*Secundo,* Formationem materiae saccharinae quam maxime praecavere.

*Tertio,* Signa molesta levare, effectusque morbi tollere.

Unum consilium regimine et medicina absolvitur, alterum diaeta maxime, aliud remediorum usu. Ad stomachi actionem minuendum, medicamenta vi narcotica praedita, vomitoria, olea animalia, &c. maxime proficiunt. Ex narcoticis opium et digitalis saepissime in usu sunt. Quo sint utilia, necesse est dosin eorum paulatim augeri. Si aliquorum auctorum fide nitamur, opium permagnis dosibus administratum, morbi nonnunquam resistitit. Vomitoria iterum atque iterum adhibita, stomachum plurimum debilitant; hinc commodo in hoc morbo exhibeantur gummi foetida, ut ferula assafoetida, &c. Eandem ob rem hydrosulphuretum ammoniae a Doctore Rollo plurimum jactatur. Hoc es-

se videtur potens remedium sedativum; hinc actionem ventriculi magnopere minuit.

*2do*, Materiae saccharinae formationem quam maxime praecavere. Sacchari formatio diaetâ carnis praecipue diminuenda est. Omnia vegetabilia sacchari plus minusve habent, atque ejus elementa in se abunde continentur; eam ob causam, hoc morbo laborantes ab iis abstinere oportet. Difficile est factu, penitus a pane eos cohibere, sed ejus usus quam maxime coërcendus est. Potionibus meracioribus aeger prorsus abstinetur, vel summam temperantiam observetur, et nullo alio potu praeter aquam puram, vel aquam acido sulphurico acidulatam, vel in qua supertartratem potassae solutam utetur.

*3tio*, Signa molesta levare effectusque morbi tollere. Laxantibus mitioribus alvus soluta semper tenenda est. Interdum tamen, tantus est torpor intestinorum, necesse erit purgantibus uti; eaque quae minime irritant, anteponenda sunt. Somnus optime conciliatur opio, sub forma haustus anodyni, hora somni adhibito. Sub finem morbi signa dyspepsiae propria aegrotum plurimum vexant. Ructus acidi, cardialgia, &c. antacidis, ut aqua calcis, aqua supercarbonatis

sodae, magnesia, carbonate calcis, &c. sublevantur. Nausea haustibus salinis effervescentibus melius removetur.

Ad stomachum roborandum, (nunc morbo debilitatum,) tonica et amara, ut praeparata e ferro, cortex peruvianus, gentiana, &c. eodem tempore administranda sunt.

Medicamenta ad diaphoresin excitandum adhibenda sunt : hoc plerumque difficillimum est factu. Vomitoria opiatis conjuncta, ut pulv. ipecacuanhae cum opio, aut vin. antimon. c. tinct. opii pro hoc consilio optime respondent ; simulque balneum, frictio, atque exercitatio modica utenda sunt ; et medicus debet aegro solatium praebere conari, atque animi hilaritatem, fortitudinemque fovere, ne dejectioni ejus aeque ut malo succumberet.

## SECTIO CADAVERIS.

Dissectiones corporum Diabete assumptorum, renes pessime affectos plerumque exhibuerunt. In quibusdam casibus, distenti flaccidique fuerunt deprehensi, admodum ampliati, coloremque cineraceum praestantes. In aliis ca-

sibus, multo magis vasculosi, quam cum naturaliter ordinati, nec multum a statu inflammationis aberant, in infundibulis continentes aliquam subalbidi fluidi quantitatem, similitudine ad pus accedentis, absque ullo tamen ulcerationis signo. Dum haec in parte interiori animadverterentur, superficiei renum in venis multo plus sanguinis quam solet esse reperiebatur. In multis quoque dissectionum casibus, mesenterium totum graviter affectum, et glandulae valde ampliatae ; quaedam ex iis admodum durae, et abnormi textura; quaedam vero molliores et globosa forma; jecur, pancreas, lien et ventriculus, fere semper in statu naturali. Si res aliter se habeat, casu et fortuito evenit. Vesica quandoque includit aliquam lutulentae urinae quantitatem. Hujus integumenta crassiora solito, et infra naturalem magnitudinem. Adeps intra abdomen et pelvim aliquando penitus convertitur in materiam quasi glutinosam, succineum colorem praestantem : haec materia, si leviter inter digitos pressa, non videtur unguinosa natura. Subcutaneus adeps plerumque multum imminuitur.

FINIS.